

CONSILIVM CCCLXXVIII A

*Ad contusionem brachij per casum cum equo.
1543. Feb. xxij.*

COMMENDATOR Cypri, cursu equorū cum Duce Urbini, Priore de Roma & alijs, certans ad S. Antonium, forte fortuna cum suo equo tanto impetu, in alium quendam irruit, vt vterque cum equo prosterneretur, & ipse Commendator cum suo in brachium cecidit, ita tamen, vt nec fractum esset quicquam, nec loco suo remotum, ob conseruationem tamen & subitum timorem, nec mouere poterat commodè sursum, neq; deorsum, nec animo præsentis admodum erat. Montanus vocatus, intellecto modo quo cecidisset cum equo in latus, & viso brachio, non inuenit alicuius periculi signum, sed brachium ei ad omnes partes torquere nitebatur, quod satis prosperè successit. & quia animo cōturbato erat, nec satis præsentis, iussit, vt aquam rosarum arte mixtam, illi olfaciendam propinarent, statim etiam exhibuit clystere commune, ex oleo & melle rosato. in brachio exterius supra radium & cubitū apparebat paruus tumor, quem cum tangeremus, maximo afficiebatur dolore, eum locum Montanus hac fouit de coctione:

R. Absinthij M.j.
Furfurum subtiliss. M.s.
Adipis anseris ʒ.j.
Olei rosarum ʒ.ij.

Misce & decoquantur in q.s. aquæ. Humerum & totum collum, in quo etiam dolores patiebatur ex casu vnxit hoc oleo:

R. Olei rosati completi,
Olei de absynthio ana ʒ.j.

Iussit & incidi venam basilicam ex latere opposito sinistri brachij, & extrahi sanguinis ʒ.ʒ. cibum concessit eo vesperi panatellam ex brodio caponum, & contusum pulli eiusdem. Voluit enim in principio liberalius nutrire egrum, vt si opus esset in statu facilius de cibo subtrahere posset, potum dedit aquam coctam cum faccero, & in ea oxymel.

Contra modernos, qui principio nimium detrahunt, & ita debilitant egrum, vt in statu postea cum defecerint ex inedia vires cū summo interdum periculo nutrire liberalius cogantur, eo tempore quo cum morbo maximè natura occupata, cibo non onerari debebat. Sequenti die hora vna ante prandium sumere iussit hunc bolum:

R. Floris casisæ ʒ.x.
Rubeæ tinctorum puluerizatae ʒ.s.
Misce, & fiat bolus. Hoc seruatō regimine euasit.

CONSILIVM CCCLXXIX.

Ad vulnus in brachio rigido.

BRACHIVM quidam habuit rigidum, quod musculus exterior læsus fuerat ex ictu. Aderat nonnihil materiæ, & præterea duo vlcera saniosa. Montanus pro resolutione illius materiæ hoc adhibuit

R. Radices consolidæ maioris N.ij.

Bulliant in vino claro minimè austero, cū modico melle rosato. Deinde facta diligenti expressione & colatura.

R. Farinæ fabæ & hordei ana M.j.

Misce cum colatura, & tumori apponatur. Erat is tumor in articulatione vlnę cum humero, ita quod illius articulationis motus omnes amiserat: extensionem, reflexionem & in circulum ductionem.

Observata.

Cuidam in tumore ordinavit Montanus emplastrum ex farina hordei, vitello oui, croco & lacte muliebri, iussitq; vt quarta quaq; horæ parte mutaret, & tertio quoquo die recentē misturam faceret, quia faciliè corrumpetur. valde hoc profuit. Et dicebat se podagricis quoque adhibere. Alteri in tumore emplastrū ex oleo amygdalarū myrrha croco apposuit. Item in materia frigida aquam vitæ cum Saluæ & Rorismarini aqua.

CONSILIVM CCCLXXX.

Pro D. Andrea Polono in pectore, eius verò fratre in capite vulneratis, Observationes, & sententiarum recitationes in colloquio, Anno 1545 prima Iunij.

V

VLNVS Domini Andree erat inter secundam & tertiam costam versus concavum pectoris. Idq; non amplum valde. Propter dolorem tamen, quem circa os pectoris sentire se dicebat, profundius videbatur, nec multum sanguinis effluerat: ita vt adhuc locus sanguine repletus videretur, qui arte eliciendus & extrahendus esset. Montagnana & alter Chirurgus, ac item Frisimelica, vulneratum esse arbitrabantur, idq; colligebant ex sanguine spumoso, ac quia manus ad vulnus applicata, sentiebat aerem egredi. Fratris verò vulnera in capite per se periculosa non erant, nisi quod sanguinis maxima copia effluerat, ita vt restingui quasi nō posset, faciei color permutaretur, & pulsus etiam appareret admodum debilis, suppresso tamen sanguinis fluxu, redibat virtus, ita vt statim omnes sperarent melius. D. Montanus: Clarissimi Doctores, profecto vulnus istud est consideratu dignum: penetrat ad cavitatem pectoris, sed nō est clarum vtrum penetret ad pulmonem: apparet sanguis spumosus, hoc fit in omni vulnere pectoris. Ex cōtinua enim expiratione & inspiratione fit sanguis spumosus: videmus exire aerem, quod ipsum etiam vsitatum est in omni vulnere ad cavitatem pectoris transeunte. Nec difficultas anhelitus arguit necessariò vulneratū esse pulmonem. Impeditur enim spiratio statim cum vel musculus aliquis, vel aliud membrum faciens ad motum Diaphragmatis & pectoris læditur. Cum autem pulmo vulnus vel vlcus simplex habet, non fit difficultas anhelitus, & hic præcipuè dolor circa vulnus facit, vt ob eam causam non ita dilatetur pectus, & quia per vulnus expiratur aer, ideo anhelitus est diminutus. Vtrū igitur